

ptam gloriam putat, & ingenio suo aut invidisse, aut de eō ma-  
lē sentire existimat scriptorem ambitiosum..“

Agite ergo ex hoc conjecturarum incertarum diverticulo  
in planum plenumque veritatis callem gradiamur. Nempe de  
CHRISTIANO dicturus est noster, quem à CHRISTO appella-  
tionem habere tām certum est, quām oculos stare in capite.  
Aut Luce testimonium nobis eviluerit, scribentis (cap. XI, 26.  
*Praxapost.*) Χριστίσα πρῶτον τὸν Ἀνποχεῖαν Ἰησοῦν μαθητὸν (cujus nisi  
Christi?) χριστιανὸν, Quod enim postea nonnulli Chrestianos, ti-  
tulo non adeò malo aut inutili, indigitare maluerunt, ignoran-  
tia fuit linguae Græcae, & supina non-distinguendi inter duas di-  
versas vocales negligentia, planè ac si confunderes κλῖσιν cum  
κλήσει, quorum illud δότο τῷ κλίνῳ, hoc verò δότο τῷ καλέω, aper-  
tissimâ differitate. Intellexit utrumque Tertullianus in Apolo-  
get. cap. 3. scribens, “Christianus, quantum interpretatio est,  
de unctione dicitur. Sed & cum perperam Christianus pro-  
nunciatur à vobis(nam nec nominis certa est notitia penes vos)  
de suavitate vel benignitate compositum est.” Et quia in hunc  
Septimij locum incido, non possum me continere quin, extra-  
oleas, seqq. quoque adponam, ut quæ scævam illam nostræ, Lu-  
theranorum, denominationis calumniam perstringunt. Perge  
itaque style Africane: “At enim secta oditur in nomine utique  
sui auctoris. Quid novi si aliqua disciplina de magistro cogno-  
mentum sectatoribus suis inducit? Nonnè Philosophi de aucto-  
ribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pythagorici? etiam  
à locis conventiculorum & stationum suarum Stoici, Acade-  
mici? æquè meaici ab Erasistrato, & grammatici ab Aristarcho,  
coci etiam ab Apicio? nectamen quemquam offendit professio  
nominis, cum institutione transmissâ ab institutore. Planè  
si qui probat malam sectam, & ita malum etiam auctorem, is  
probabit & nomen malum dignum odio de reatu seclæ & au-

Cto-